

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2430

Auteur(s) : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôtel-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1224

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Règlement pour l'élection du Prieur de la Maison-Dieu de Coutances, par Hugues de Morville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XXXI, col. 257-258.

b. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XXXVIII, p. 30-31.

Texte établi d'après b

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Hugo, Constantiensis ecclesie minister humilis, et fratres et pauperes Domus Dei Constantiensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos unanimiter instituisse, divine pietatis intuitu, quod nullus in predicta domo Prior assignetur nisi quem diu mores et vita, observatio institutionum ipsius domus, quas de se fideliter observabit et a cunctis fratribus domus firmiter observari faciet, ipsum tali officio dignum esse comprobaverint. Instituímus etiam, omnes successores nostros pie et misericorditer in Domino exhortantes, ut qui ibi tempore succedente prior fuerit assignatus, antequam tale suscipiat officium, cunctis fratribus domus convocatis, bene instruat super hoc et certificetur quod dominus episcopus semper ipsum ab eodem officio sine contradictione et appellatione qualibet amovebit et alium instituet quandocumque voluerit et videbit expedire, mediante tamen concilio fratrum ipsius domus. Hoc autem statuimus bona fide, ea autoritate qua possumus, firmiter injungentes quatenus hec omnia et alie institutiones ejusdem domus a nobis ordinate in custodia episcopali et in ipsa domo per scriptum perpetuo habeantur et singulis annis ad dies computationum ejusdem domus statutos, et ad receptionem fratrum et sororum in ordine legantur et districte, ne inimicus homo sub pelle ovina, quasi per ignorantiam, aliquo tempore presumat (quod absit) in predicta domo super triticum Domini zizaniam seminare, bona pauperum temere largiendo, vel ea in suos proprios usus, diabolo instigante, superflue convertendo. Insuper instituímus quod omnes fratres et sorores ejusdem domus, ut promiserunt, et eorum habitus postulat et ordo, sub obedientia semper maneant et vivant, et suis presbyteris et precipue illi, qui curam administrationis domus susceperit, sub prioris nomine, suetam reverenciam in omnibus exhibeant et honorem, prout sancta religio exigit et docet ; hoc idem clerici pro religionis honestate liberaliter et benigne laicis impendere debent, quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una ; hoc autem totum ordinavimus sano intellectu ne aliquo tempore, [priori] indiscreto et indigno improvise, quod absit, domus sepedicte custodia committatur. Ego vero Hugo episcopus omnes presentes et futuros moneo diligenter in visceribus karitatis et precipue omnibus meis successoribus supplico humiliter et devote, ut, quod a nobis divine pietatis intuitu

inceptum est, pro Christi pauperibus perpetuo sustentandis, omni amore carnali postposito et seculari, pie et misericorditer satagant de die in diem in melius promovere. Ut autem hec omnia firma et stabilia in posterum perseverent nec possint processu temporis alicujus malo ingenio importune revocari, presentis scripti et sigillorum nostrorum testimonio dignum duximus confirmare. Actum est hoc anno gratie M° CC° XX° quarto.